Sic predixerat ysaias. puer natus est nobis et filius datus est nobis.
Qui inter deum et hominem legitime mediaret. Si enim alterius
esset nature non esset utrique coniunctus. quare certe non esset ydoneus ut inter
eos pacis federa reformaret. Mediatio autem non est unius
inquit apostolus. et ob hoc in christi natiuitate celestis milicie multitudo
psallebat. Gloria in excelsis deo. et in terra pax hominibus bone uoluntatis. Ipse
enim est pax nostra qui fecit utraque unum. lapis angularis qui nos
de diuersis parietibus in homine uno copulauit. Potuit deus
hominem solo uerbo per potenciam liberare. sed maluit eum redimere
precioso sanguinis sui precio per iusticiam. ut eum non ad potenciam sed ad
iusticiam inuitaret. Et iustum erat ut homo propter pene
debitor redimeretur a debito culpe. placando deum quem
propter culpa offendat. nulla autem pena sufficere poterat ad
precium huius redempcionis. propterea quod quilibet homo esset debitor
pene. non solum ex iniquitate commissa. uerum et ex labe contracta.
Unde Io. Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus
et ueritas in nobis non est. Psalmista. Omnes declinauerunt simul inutiles
facti sunt non est qui faciat bonum non est usque ad unum. Quo
circa uerbum caro factum est et habitauit in nobis. ut in carne mundissima
que prorsus erat immunis a culpa. sustinendo penam indebitam
precium redempcionis humane deo patri persolueret factus obediens
usque ad mortem. mortem autem crucis. Redempti enim sumus non
corruptibili auro uel argento. sed precioso sanguine agni imma
culati. Nam summus sacerdos in cuius morte ~~redem~~ rei qui confuge
rant ad ciuitates refugii reuertebantur ad propria. Suscepit igitur
in se penam pro hominibus ut daret pro se gloriam uniuersis. ysaia
testante qui ait. Uulneratus est propter iniquitates nostras attritus est
propter scelera nostra. disciplina pacis super eum liuore eius sanati
sumus. Uere languores nostros ipse tulit. et dolores nostros ipse portauit.
Carne autem assumpcionis non solum dedit pro nobis in precium